



## **Antiquae Lectionis Tomus ...**

In Qvo Plvra Qvam XX. Antiqua monumenta, nunquam edita

**Canisius, Heinrich**

**Ingolstadii, 1602**

III. Item De Causa eadem.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64160](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64160)

capto rege incruentam vt pollicitus erat de RVTHENIS victoriam domino suo duci reportauit, mirumque dictu, effera gens illa hoc facto ita edomita est, vt nunquam postea viuente duce nec quidem de bello cogitarent. Nam pro ereptione sui tyrannus quidquid maiorum suorum studio ac solertia in thesauris collectum habere poterat, dare coactus est, aurum & argentum, & quæq; preciosa in vasis & vestibus, & varijs opum speciebus, quadrigis & camelis in POLONIAM adportantibus, ita vt RVTHENIA tota in \* prærita paupertate contabesceret.

Deinde vbi fœdera mansuræ pacis iureiurando tam rex, quam optimates RVTHENORVM solidauerant, etiam hoc polliceri fide firmissima rogati sunt; ne POMMERANIS extra forent auxilio. Contra illos enim totis viribus dux manum leuare cogitauit,

### ITEM DE CAUSA

*eadem.*

III.

\*

**H**IS ergo omnibus ipsius \* adeò cum compositis POMMERANIAM insultibus crebris concutere, vastare ac populari cepit. Et quia paganismo tenebantur, dux eos aut penitus elidere aut ferro ad fidem Christianismi conatus est impellere. At illi suis fidi viribus, eò quod ciuitates & castra, natura & arte firma in introitu haberent quam plurima, se inexpugnabiles fore arbitrati sunt, omnemq; substantiam suam in vrbibus collocantes, armorum præsidia præparare moliantur. Sed quia DEO placuit, aliquas ex eis contere, vt cæteros ad fidem cõuerteret, ingenium & vires contra eos POLIZLAO ministravit, ita, vt multis & magnis cladibus eos frequenter afficeret. Nam & ciuitatem STE-TINENSEM, quæ stagno & aquis vndiq; cincta, omni hosti inaccessibilis putabatur, quæ etiam totius POMMERANIÆ

Metro-

Metropolis fuit, hyemali tempore strictam per glaciam, non sine periculo exercitum ducens, inopinata clade percussit. BADAM quoq; ciuitatem munitam & fortem, valde fregit & succendit; Et omnem in circuitu eius regionem, igni & ferro vastauit; adeo, vt ruinas, & adustiones, & acervos cadauerum interfectorum, per diuersa loca, monstrarent post annos tres, ac si de strage recenti. Tam grauisime autem in illarum ciuitatum expugnatione subacti sunt, vt quos neci & captiuitati dux superesse passus est, cum suo principe, Christianos se atq; tributarios fore, quod iurare licuit, pro ingenti lucro ducerent. Ferunt autem, quod 18000 virorum pugnatorum neci traditis, 8000. cum vxoribus & paruulis, ad terram suam captiuos abduxerit, & in periculosis marchiarum locis, in vrbibus & castris eos collocans, quo terræ suæ præsidio forent, & cum hostibus suis, gentibus scilicet extraneis bella gererent, indixit. Hoc addito, vt abdicatis Idolis, Christianæ se religioni per omnia conformarent. Sed cum reliquos de gente perfida, quos in terra propria tributarios dimiserat, dux fidei Christianæ apponere curaret, omnes Episcopos terræ suæ conueniens, nulli persuadere potuit, vt illò ire atq; in tenebris & vmbra mortis sedentibus, lumen vitæ velle ostendere; singulis suas excusationes prætendentibus. Sicq; per triennium dilata est prædicatio.

### QVOMODO LITERAS EPISCOPO

*Ottoni miserit Poliz. laus dux.*

**A**NDEM instinctu admonitus diuino, ad hoc opus OTTONEM Babergensem Episcopum, cuius tunc fama late in regnis effloruit, eò quod & hunc in adolescentia eius pater, sui capellani more obloquentem, notum & charum habuerit, inuitare decreuit: oportunum fore autumans, cum tali viro & an-

IV.